



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi Et Benè Moriendi

**Balde, Hendrik**

**Ipris, 1689**

1. Caput De Tempore.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

\*\*\*\*\*

CAPVT. I.

DE TEMPOR E.

**N**illus est, ad fugandum omne  
tædium, sedandumque animi  
mœrorem, aptior atque effi-  
caciior modus, quam tempus  
benè impendere.

*Gaudebis semper vespere, si diem transge-  
ris fructuosè, inquit Thomas à Kempis.*

Maxima temporis habenda est cura;  
contingit enim non raro, ut id, quod  
ratione licèt convicti emendare neglexi-  
mus, decursu temporis corrigatur. Sæpè  
ea, quæ sanari ratione non poterant, sanata  
sunt tempore. Ait S. Martinus Bracarenfis. (a)

Attamen nihil hodie eò vilius inveni-  
tur. *Quem mihi dabis, ait seneca, qui ali-  
quod pretium temporis ponat?*

Vox multorum est. Eamus, jocemur,  
confabulemur, indulgeamus genio, do-  
nec prætereat hora; licèt non ignorent,  
totam æternitatem haudquaquam sufficere  
ad referendas Deo gratias pro minimis  
etiam ab eo acceptis beneficijs. Quid ma-  
gis deplorandum?

A

Nemo

(a) Max. de moribus

VERITATES

*Nemo vestrum*, ait S. Bernardus, parvi  
 aestimet tempus, quod in verbis consumitur  
 otiosis, volat verbum irrevocabile, volat tem-  
 pus irremediabile, & præterit hora, quam tibi  
 ad agendam poenitentiam, ad obtinendam ve-  
 niam, ad acquirendam gratiam, ad prome-  
 vendam gloriam, misericordia conditoris in-  
 dulget.

Irascereris filio tuo, si in fluminis  
 ripa consistens nummos aureos nullo dis-  
 crimine suis deque sæper aquas abijceret,  
 more puerorum, qui particulas scandu-  
 larum lusus & recreationis causâ ibidem  
 faciunt subsilire, eoque succenseris illi  
 gravius, si diceret, id se agere, temporis  
 fallendi causâ.

Minima particula temporis, quâ te bea-  
 tum reddere potes, omni argento atque  
 auro præponderat; interim ais; eo lu-  
 sum, jocatum, confabulatum, temporis  
 fallendi causâ, atque itâ innumeras ejus  
 particulas temerè abijcis & perdis, easque  
 insipienter prodigis. *Re omnium pretiosissi-  
 mâ luditur*, ait Seneca. Potiori itaque jure  
 tibi ipse irasci debes, ac graviter suc-  
 censere.

Cetera omnia si deperdita sint, recu-  
 perari possunt, tempus non item.

Hæc est una omnium maximè flebilis  
 damnatorum

CHRISTIANÆ.

damnatorum apud inferos querela, quod hujus vitæ tempus malè agendo prodegerint, & tot, tamque opportunas salutis suæ procurandæ occasiones inutiliter elabiverint. O si illis concederetur unius duntaxat horæ dimidium! dici non potest, quam accuratam illius rationem essent habituri.

Tu interim tam infructuosè perdis tot horas, proh quanto tua illa dementia te morti proximum mœrore conficiet! tum, cum de tempore jam erit conclamatum, atque tibi dicetur, *Tempus non erit amplius.*

Cælum emas, licet; tempus emere non licet. *Non poterit pretio vel breve tempus emi.*

*Chrysaorius* lethali morbo per noctem oppressus & circumfessus truculentâ dæmonum coronâ, qui flagitia ejus omnia, quorum pœnis vehementer exagitabatur, sub aspectum subijciebant, quidquid possidebat opum, oppignerasset lubens, ut in auroram duntaxat vita protenderetur; at eheu! tantillum temporis tanto pretio mercari non valuit.

*Ludovicus XI.* Galliarum Rex ultimo vitæ morbo donabat medico suo quingentos aureos in singulos dies, ut vitam suam tantisper protraheret; sed tempus

tam immani auri summâ comparari non poterat.

*Nihil, ait S. Bernardus, pretiosius tempore; tempus tantum valet, quantum Deus; quippe in tempore bene consumpto comparatur Deus.*

Quapropter dum temporis momentum amittimus, periculo frequenter nos exponimus, ne & Deum, & cum Deo felicem æternitatem amittamus. Rectè igitur monet sapiens: *Ne defraudèris à die bono, & particula boni doni non te praterat.*

### CAPVT. II.

*Amentes sunt, qui pretiosissimo tempore non benè utuntur.*

**S**I Regum quispiam te nemora sua obambulanti, atque arborum proceritatem admiranti in hunc modum alloqueretur: Quasunque cras albâ cruce signaveris arbores, tuæ illæ futuræ sunt, Sedulus esse si vis, multorum millium are alieno gravatum te poteris eâ viâ liberare.

Si inquam regum quispiam hoc tibi adiceret, nonne perspicuum est te ilicò acceleraturum gressus, ut quamplurima candidissimæ calcis segmenta tibi conquirereres? nonne manifestum est, crastinâ die te non induturum somno in multam lucem? Nonne sole meridiano clarius est,